

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1748)  
**Heft:** 10

**Artikel:** Disquisitio de religione Pythagorae  
**Autor:** Zimmermann, J.  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394623>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 30.04.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**



DISQUISITIO  
DE  
RELIGIONE PYTHAGORAE.  
A J. ZIMMERMANNO.

---

Pars prior.

---

**M**aximam esse *Disciplinarum Mathematicarum* utilitatem, ad perficiendam Hominum mentem, & ad addiscendas rectæ rationationis leges, fatentur omnes, quotquot res suo pretio æstimare possunt. Hæ disciplinæ animum præparant, ut nihil admittat, nisi certum, solidum, & perspicuum: Si illi, qui Literis vacant, mature his disciplinis vacarent, fieri non posset, quin in aliis literarum studiis accuratiores, atque feliciores futuri essent, innumerasque lites, atque λογοδοχίας evitarent. At ut omnium, etiam præstantissimarum rerum, abusus est; ita factum sæpissime, ut non vitio disciplinæ, quæ excellentissima est, sed eorum, qui ei vacant, multa dogmata potius tenebris involuta, quam in clariore

luce posita fuerint. Multi, qui Mathematicas disciplinas callent, ubi de argumento alio sermo est, non melius, imo pejus aliquando quam alii, ratiocinantur. Multi numeros ad res Theologicas explicandas adhibentes, rem potius sanctissimam obscurant, quam explicant. Nec mirum est hoc ita fieri. Disciplinæ Mathematicæ nituntur ideis claris & abstractis; aliæ non item. Ineptus esset, qui *rem facti*, uti in scholis loquimur, numeris, & figuris Mathematicis demonstrare vellet. Non loquimur de certitudine principiorum, quibus nititur methodus Mathematicorum: Nemo de hoc dubitaverit, qui vel a limine eas disciplinas salutavit. De adplicatione saltem inepta hic sermo est. Inductione exemplorum ex Hist. Literaria moderna hoc probare possem; at sufficit mihi exemplum celebris inter antiquos Philosophi, *PYTHAGORÆ* nempe, Italicæ Philosophiæ Conditoris. Is tantam nominis famam adeptus est, ut teste *Cicerone* Lib. II. de Orat. cap. 37. *olim omnes Viri Sapientes dicti sint Pythagoræ.* Hic pro temporum, quibus vixit, ratione Mathematicas disciplinas excoluerat; at ita, ut numeros ad res intellectuales explicandas atque originem omnium rerum pandendam exhibens, res pulcherrimas, & difficillimas confuderit potius, quam explicaverit. An enim melius intelligitur, quæ sit Natura Numinis, ejusque proprietates, si *Movada* voco? Num rerum corporearum natura mihi magis perspecta est, si eam *duada* appello? Numeri ita rectissime Cl. *Burnetus* *Archæolog.* pag. 428 *sequuntur res rerumque divisionem: neque si antecederent, aut corporibus molem aut animabus & mentibus cogitationem conferre possunt, cum utrisque destituantur.* Manifestum est, numeros præter numeros

ros nihil posse progenerare : nullam habent ultra vim aut efficaciam. Possunt quidem repræsentare suo modo rerum gradus & genera, sed efficere non possunt; neque vices materiæ supplere in rerum affectione. Quin, age mi Pythagorice, si negas experiamur paulisper: fac mihi tuis numeris non Deum, aut mentem, ut tu jaclare soles: sed corpusculum aliquod; lapidem ex. gr. vel si mavis, lupum. Accinge te ad opus, quos numeros habes aptissimos ad hoc propositum? pares vel impares: mares vel fæminas? pro tuo ingenio quales velis accipe, sed steriles sunt omnes mihi crede, & ad generandum lapidem inepti. Quid si mutato consilio, numeros planos aut solidos adhibeas, vel forsân quadratos, nihil hinc efficies præter figuras quasdam imaginarias: & ex nihilo quadrato vel cubico plano vel solido nihil fit. Denique si unitates compingas, si binarium, ternarium, quaternarium, cæterosque cum suis mirificis virtutibus: adde, subtrahes, divide, compone, in omnes te partes verte, omnes vires exprime: Numeri sunt adhuc & præterea Nihil. Nihil lapideum emergit, multo minus humanum & divinum. Hæc Burnetius. Certe hac sua agendi ratione non solum res sublimes obscuravit Pythagoras; sed & quod communiter fieri solet, effecit; ut in diversissimas sententias sensum ejus raperent Interpretes: unde etiam factum, ut nostra ætate, qua Philosophicæ disciplinæ melius excultæ sunt, methodus pythagorica fuerit neglecta, immo a Doctis Viris explosa. Ad hanc obscuritatis causam accedebat modus tradendi sua Decreta: isque duplex, vulgaris nimirum, & arcanus. Hinc non solum discipuli pro ingenii diversitate diversimode præcepta Docentis interpretabantur; sed & plerique qui secuturis ætatibus examini subiciebant Pythagoræ mentem. Quid dicam de symbolica tradendi

di disciplinas methodo, num hæc tandem Philo-  
sopho in Mathesi versato, digna? (\*)

II.

At non id jam agimus ut quam accurata, vel imperfecta fuerit *Pythagoræ* methodus philosophandi a nobis tradatur; sed ut mentem ejus de præcipuis Religionis articulis excutiamus.. Notum enim est Historiæ Philosophicæ peritis *Pythagoram* etiam in Catalogum *Atheorum* fuisse relatum. Antequam vero id facimus, necesse est, ut de Auctoribus qui *Pythagoræ* vitam, atque decreta exposuerunt aliquid præmittamus. Præcipui autem sunt *Jamblichus*, *Porphyrus*, *Diog. Laertius*, & *Hierocles*. Quam accurati rerum gestarum narratores illi sint, norunt, qui auctores vel semel tantum evolverunt. *Jamblichus* & *Porphyrus* Panegyricum potius, quam accuratam vitæ, dogmatumque historiam nobis dederunt: dumque multa falsissima tradunt, miraculaque ridicula Ei tribuunt, in cæteris etiam fidem amittunt; ut nihil dicam de tempore, quo hi Homines vixerunt. Præterea apertum est illos omnia Decreta *Pythagoræ* ad suas opiniones prorsus inflectere, adeo ut vix colligi possit, quid ipse  
sense-

(\*) Plures causas obscuritatis in hoc argumento adduxit Eruditissimus Brukerus in luculenta dissertatione de convenientia numerorum *Pythagoræ* cum Ideis *Platonis*, inserta Cl. Schelhornii nostri *Amœnitat. Literar.* Tom. VII. cum qua confer. quæ in ipsa *Historia Critica Philosophiæ* Tom. I. p. 991 & sq. de causis obscuritatis adiecit. Conferenda hæc dissertatio non solum propter doctrinam *Pythagoreorum* de numeris, quæ intricatissima est; sed quod universæ disciplinæ *Pythagoræ* lucem accendere possit.

senferit: *Laërtius* his in eo præstat, quod multa *μετεωρολογηματα* platonica omittat, cæterum in iis, quæ narrat, *more suo*, nec perspicuum sequitur ordinem; neque apte totius systematis nexum tradit, sine quo tamen difficile perquam est de universo Systemate iudicium ferre. Ultimus denique, *Hierocles* nimirum, jejunos est in decretis Pythagoricis enarrandis, atque præcepta *Platonis* & *Stoicorum* turpiter cum *Pythagoricis* sententiis commiscet. Succurrere quidem nobis voluit *D. Dacier*, dum vitam *Pythagoræ* conscripsit; at ille *Encomiastes* potius est, quam *Historicus*, plurimaque adfert aliena a *Decretis Pythagoricis*: interim cum *Viri Docti*, qui *Pythagoram* Atheismi postulant, ad hos Auctores aliquando provocare soleant, nemo nobis vitio vertet, dum meliora ad manus non sunt; si ex iisdem pariter aliquando testimonia repetamus. Neque interim ea quæ ex *Cicerone*, *Plutarcho*, *Sexto Empirico* Patribusque citari, & adduci solent, silentio transibimus. Versabimur autem in hoc argumento ita; ut primo sententiam *Pythagoræ* de Deo, origine omnium rerum, Providentia, libertate hominis, mentisque statu post mortem, proponamus, atque dein *Virorum Doctorum* argumenta, quibus *Pythagoram* Atheismi convincere volunt, sub incudem vocemus.

### III.

Antequam vero loca ipsa, quibus probari posse videtur, *Pythagoram* de Religione non adeo male sensisse adferam, insignem locum *Ciceronis* Lectoris oculis subjiciam, in quo cur *Philosophiæ* operam suam consecraverit *Pythagoras* aperit: locus extat *Tusc. quæst. Lib. V. Sect. 8. & 9. pag. m. 248.*

ita sonans: *Quem* (Pythagoram nimirum), *ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, Vir Doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliastorum docte & copiose disseruisse quaedam: cujus ingenium & Eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte consideret? At illum artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum. Admiratum Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent Philosophi, & quid inter eos & reliquos interesset. Pythagoram autem respondisse, similem sibi videri vitam hominum & mercatum eum, qui haberetur, maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem Coronae peterent; alii emendi, aut vendendi quaestu & lucro ducerentur: esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent, studioseque perspicerent quid ageretur, & quomodo: item nos quasi in mercatus quadam celebritate ex urbe aliqua sic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos: alios gloriae servire, alios pecuniae: raros esse quosdam, qui caeteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur: hos se appellare sapientiae studiosos: & ut illic liberalissimum esset, spectare, nihil sibi adquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare. Hactenus Pythagoras. Quam recte haec per omnia dicantur, & quam accurate ad normam hanc vitam moresque suos composuerit, jam quidem non quaeram. Utinam omnem diligentiam impendisset, ad cognoscendum Numen, ejusque Voluntatem, quantum Ei cernere datum fuerat. Quousque autem progressus fuerit, mox audiemus: Et ad existentiam quidem Numinis, ejusque Naturam*

ram quod attinet, non pauca adsunt testimonia, quæ probant *Pythagoram* O. M. Numen admisisse: *Justinus M. de Monarchia Dei* pag. m. 105. unum tantum Numen admisisse *Pythagoram* auctor est: citat enim sq. versus:

Ἐἰ τις ἔρει Θεὸς ἔμι παρεξ ἑνὸς ἔτος ὀφείλει  
 Κοσμον ἴσον τῷ ᾧ ᾤσας εἶπειν ἔμος ἔτος  
 Κῶχι μόνον ᾤσας εἶπειν ἔμος, ἀλλὰ κάλοικειν  
 Καὶ περὶ τῶδε. i. e.

*Extra unum, si fors jaçtet sua Numina quisquam  
 Debet & is merito, talem sibi condere mundum  
 Ipse suum testans, quo sit factore creatus.  
 Et qua de caussa.*

*Idem cohort. ad Græcos* pag. m. 18. *Pythagoras* autem, inquit *Mnesarchi*, qui *Philosophiæ* suæ præcepta per symbola arcana tradidit, sicuti, qui vitam ejus scripserunt, testantur, digna & ipse *Ægyptia* peregrinatione de uno & singulari Deo sensisse videtur. Unitatem namque rerum omnium originem, eandemque bonorum omnium causam esse dicens, per allegoriam, unum, atque eum solum esse Deum docet. Id vero sic se habere ex eo patet, quod *Μοναδα* id est unitatem (seu potius Solitatem) & *Ἐν* hoc est unum differre inter se ait: Unitatem sive solitatem quippe, in iis, quæ intelligentia comprehenduntur: Unum autem in numeris esse. Sin clariorem adhuc *Pythagoræ* de uno Deo opinionis probationem scire cupitis, audite sententiam ejus; sic namque dicit: Sane quidem Deus unus est; non ille autem quomodo nonnulli sunt suspicati, extra hunc mundi Ornatum: Sed ipse in se totus in circulo toto generationes omnes inspiciens *Seculorum* omnium est temperatio & virtutum operumque ejus omnium Opifex, Principium Omnium,

*unum, Cæli lumen & Parens omnium, mens & animatio universorum circularum omnium motio.* Iisdem fere verbis utitur Cl. Alex. Cohort. ad Græcos pag. m. 47. Minut. Felix pag. 178. Edit. Gronov. *Pythagoræ Deus est animus per universum rerum naturam commens, & intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur.* Ita similiter Lactantius Lib. I. cap. 5. & de ira cap. 2. Salvianus de Gubernat. Dei Lib. I. pag. 4. secuti omnes Ciceronis locum, de quo infra dicendi commodior erit occasio. Aliter de hoc argumento præter Theophilum, (de quo infra) loquitur Epiphanius Hæretifex Lib. I. adversus Hæreses ait: *Σωμα δὲ ὁ Πυθαγόρας λέγει εἶναι τὸν θεὸν τέλει ἐν ἔρανον, ὀφθαλμοὺς δὲ αὐτῆς καὶ τὰ ἄλλα ὡσπερ ἐν ἀνθρώπῳ, ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὰ ἄλλα ἀστὲρα καὶ τὰ κατ' ἔρανον στοιχεῖα.* i. e. *Pythagoras ait Deum esse corporeum, videlicet cælum; ejus oculos cæterasque tanquam in homine partes Solem, & Lunam constituit, ac reliquas stellas & Elementa.*

#### IV.

Produximus celebriora Patrum testimonia de opinione *Pythagoræ*, quam de Deo habuit. Cum autem parum inter se convenient, recurrendum est ad aliorum etiam testimonia, ut ex omnium collatione, quid Samius ille Philosophus senserit, tandem colligi possit. *Jamblichus de Vita Pythag.* pag. 72. edit. *Küsteri*, ita mentem Philosophi pandit; dicens: *Ἄπαντα μὲν τοὶ ὅσα περὶ τὰ πραττεῖν ἢ μὴ πραττεῖν διορίζουσιν ἐσοχασαὶ πρὸς τὸ Θεῖον, καὶ ἀρχὴ αὐτῆ ἐστὶ (sic recte restituit textum Küsteri) καὶ λόγος ἕτος τῆς φιλοσοφίας. Τελοῖον γὰρ ποιεῖσιν ἀνθρώποι, ἄλλοθεν ποθεν ζητῶντες τὸ εὖ ἢ παρὰ τῶν Θεῶν. Καὶ ὁμοῖον ὡσπερ ἂν εἴ τις ἐν βασιλευμένῃ χωρᾷ*

χωρα των πολιτων τινα ὑπαρχον θεραπευοι ἀμελησας  
 αὐτε τε παντων ἀρχοντος. Τοιςτον γαρ οἰονται ποι-  
 ειν και τες ἀνθρώπους. Ἐπει γαρ ἔσι τε Θεος, και  
 ἔτος παντων Κυριος δειν ὁμολογεεται παρα τε Κυρις  
 το ἀγαθον αἰτειν. Παντες γαρ ἔς μεν ἀν φιλωτι, και  
 οἰς ἀν χαιρωσι τοιςτοι, διδοασι τὰγαθα, προς ἔς δε  
 ἐναντιως ἔχουσι τα ἐναντια &c. i. e. *Ac omnia quidem  
 præcepta, quibus quid agendum quid non agendum sit,  
 definiunt, ad divinum Numen tendunt, estque hoc  
 principium, & eo omnis vita ordinatur ut Deum sequa-  
 mur, atque huius Philosophiæ ratio est, quod ridicule  
 agant homines, qui quod bonum est, aliunde quam a  
 Diis petunt. Perinde ac si quis in provincia, Regis  
 potestati subiecta, quendam e Civium numero Præfectum  
 colat, neglecto eo, qui omnibus dominatur. Tale enim  
 quid Pythagorei existimant ab hominibus illis fieri. Cum  
 enim & Deus sit, & imperet omnibus, in confesso est,  
 quod bonum a Domino petendum sit: omnes enim Diis  
 bona tribuunt. Iisdem fere verbis hoc repetit Sect.  
 137. Idem pag. 84. admonebat, περι τε Θεου, και  
 περι τε Δαιμονικου και περι τε Ἡρωικου· εὐφημον τε και  
 ἀγαθην ἔχειν διανοιαν. Porphyri pag. 41. Τοιαυτα  
 παρηνει, μαλιστα δ' ἀληθευειν. τιστο γαρ μονον δυ-  
 νασθαι τες ἀνθρώπους ποιειν Θεω παραπλησις. Ἐπει  
 και παρα τε Θεου, ὡς παρα των μαγων ἐπυνθανετο,  
 ὄν Ὀρομαζην καλεσιν ἐκεινοἰ, το μεν σωμα φωτι, την δε  
 ψυχην ἀληθεια. i. e. *Talia præcipere solebat. Inprimis  
 autem veritati studendum, solum enim illud homines Deo  
 similes efficere posse. Nam & Deum ipsum, ut ex Ma-  
 gis cognoverat, quem illi Oromasden appellant, corpore  
 quidem luci, anima autem veritati similem. Idem  
 asserit Stobæus serm. XI. de veritate. Πυθαγορας  
 ἐρωτηθεις τι ποιουσιν ἀνθρώποι Θεω ὁμοιον, ἔφη. Ἐαν  
 Ἀληθευωσιν. οἰ δε Μαγοι ἀποφαινοῦσαι τε Μεγιστε των**

Θεων, ὃν Ωρομασδην καλεσιν εἰκенаι το μεν σωμα φῶς, την δε ψυχην ἀληθεια. Confer *Rittershusium* in notis pag. 58. digna etiam est elegantissima Oda amplissimi Viri J. A. Thuani, quam in *Veritatem* scripsit, quæ inibi legatur. *Hierocles* fere initio *Comment. in Aurea Carm.* memorat, *Pythagoram* agnovisse τον Δημιουργικον μονον Θεον, ὃν Θεον Θεων κυριως ἀν ἔπει τις και Θεον ὑπαθον και ἀριστον. Postea ubi de *quaternario* agit, scribit; Ἐσι γαρ Δημιουργος των ὄλων και αἰτια ἢ τέρας Θεος νοῆος, αἰτιος τε ἔρηνια, και αἰσθητῶ Θεω. Hinc simul patet quo sensu cœlum, aliquando Θεον adpellarint *Pythagorici*; eodem nimirum sensu, quo *Plato* τον Θεον νοητον ab αἰσθητῶ distinxit. *Anonymus* de *vita Pythag.* apud *Photium* pag. 65. ὁ Θεος κάλα τον νεν και τον λογον ἀει ἐνεργει. Verbo *Porphyrus* & *Jamblichus* per universam vitæ historiam ipsi tribuunt hanc laudem, quod O. M. Numen admiserit, de eo præclare senserit, illudque colendum esse constantissime asseveraverit. Non diffitemur interim ineptissimam simul superstitionem eidem tribui. At pergamus ad alios Auctores atque testes: *Auctor* των φιλοσοφῶν pag. 26. de *Pythagora* ait: την Μοναδα ἀπεφηνατο εἶναι τον Θεον: *Unitatem adfirmavit esse Deum.* *Plutarchus* Lib. I. cap. 7. de *Placit. Philosoph.* Πυθαγορας των ἀρχων την μεν Μοναδα Θεον και τ' ἀγαθον, ἡτις ἐστιν ἢ τε ἕνος φυσικῶ, αὐτος ὁ νεν. Την δ' ἀοριστον Δυαδα δαιμονα και το κακον, περι ἣν ἐστι το ὑλισον πληθες, ἐστι και ὄρατος ὁ κοσμος. i. e. *Pythagoras de principiis Unitatem Deum ac bonum, quæ sit unius natura, ipsa mens. Infinitam autem Binarium naturam, genium & malum, unde est multitudo materiae & visui expositus mundus.* Videtur hic *Plutarchus* innuere, quod opere in libello de *Iside & Osiride* contendit, *Pythagoram*

ram duo sibi adversa rerum æterna admisisse prin-  
cipia. Quidquid autem sit de eo cum reliquis in  
eo consentit, Pythagoram Deum Μοναδα adpel-  
lasse. Eodem libro cap. 3. clarius adhuc mentem  
ipsius exprimit dicens: Πυθαγορας Μνησαρχης Σαμιος  
ὁ πρῶτος φιλοσοφίαν τῆς τῶ ῥήματι προσαγορευσας,  
ἀρχὰς τῶν ἀριθμῶν καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τῆσιν,  
αἷς καὶ ἀρμονίας καλεῖ, τὰ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων συνθετα  
στοιχεῖα, καλεῖμενα δὲ γεωμετρικά. πάλιν δὲ τὴν Μο-  
ναδα καὶ τὴν ἀόριστον Δυαδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς. Σπευδει  
δὲ αὐτῶ τῶν ἀρχῶν ἢ μὲν ἐπὶ τὸ ποιητικὸν αἰτιὸν καὶ  
εἰδικὸν ὅπερ ἐστὶ νῦς ὁ Θεός. ἢ δὲ ἐπὶ τὸ παθητικὸν τε  
καὶ ὑλικὸν ὅπερ ἐστὶν ὁ ὄρατος κόσμος. i. e. Pythagoras  
Mnesarchi filius Samius, is qui Princeps Philosophi no-  
men usurpavit, rerum principia censuit esse numeros, eo-  
rumque inter se sive proportiones sive concinnitates, &  
ex utrisque composita Elementa, quæ Geometrica dicun-  
tur. Rursus unitatem, & infinitati conjunctum Bi-  
narium in principiis ponit. Tendunt autem Principia  
ejus alterum ad effectricem causam & formantem, quæ  
est Deus sc. mens: alterum ad perpeffionibus subjectam  
& materialem, quæ est mundus in visum incurrens.  
De eodem in Numa: ἔτε γὰρ ἐκεῖνος αἰσθητὸν καὶ  
παθητὸν ἀόρατον δὲ καὶ νοητὸν ἀπελαμβάνει εἶναι τὸ  
πρῶτον. Sextus Emp. p. 566. ed. Fabr. fatetur,  
Pythagoram Deum agnovisse. Laërtius de Eodem:  
ἀρχὴν μὲν ἀπαντῶν Μοναδα, ἐκ δὲ τῆς Μοναδος ἀορι-  
στον Δυαδα ὡς ἂν ὑλὴν τῇ Μοναδὶ αἰτιῶ ἄντι ὑποστῆναι.  
Omnium rerum id quod unum sit, esse initium. Ex  
eo geminum, quod infinitum sit, profectum tanquam  
materiam, illi ipsi Uni, quod causa est, subjectum  
esse. Cl. Olearius in notis ad vitam Apollon. Thya-  
nensis Lib. IV. cap. 28. ita explicat Pythagoreorum  
mentem de hoc argumento: Illi (inquit) Deum  
sum-

*summum* το νοητον dicebant : ab eo Spiritus creatos omnes, humanasque adeo etiam mentes ejus contemplatione vitam accipere putabant, quos inde νοερα dicebant. Huc spectat locus Plotini Ennead. V. Lib. I. cap. 4. το δε ον h. e. Summus Deus τω νοεισθαι τω νοι διδδς το νοειν και το ειναι. Et Proclus ad Timæum Plat. Lib. I. p. 6. ex Chaldaicis Oraculis allegat ista : τροφη δε τω νοουτι το νοητον. Et Hesychius ex istis Philosophis : Νοερον πνευματικον. Νοερον μεν εστι το νοον. Νοητον δε το νοουμενον. Ita Hippodamus Pythag. apud Galeum pag. 650. ratione inquit prædita quædam ipsa perfectæ sunt, quæ per se sunt perfectæ, nec ulla re externa vel ut sint, vel ut bene sint, indigent qualis quidem sit Deus. Et pag. 661. Ac Deus quidem nec virtute ab aliquo percepta bonus, nec felicitate comitante beatus est redditus. Etenim natura tum bonus, tum beatus erat, semperque & fuit & erit, nec unquam talis esse desinet, cum interire non possit. Archytas ibid pag. 673. Eo autem differt a Viro bono Deus, quod Deus non tantum sincera & omnis humanæ perturbationis experte virtute præditus est, verum etiam ejus facultatem tranquillam & liberam, pro æternorum factorum majestate ac magnificentia, possideat : homo vero non tantum per humanam naturam ea minore fruitur, verum sæpe vel per bonorum neglectum vel per potentem consuetudinem, vel per pravam naturam, vel per alia multa veri boni fastigium assequi. Quod si jam adducta illa Patrum & Philosophorum testimonia in summam colligamus, huc omnia redire videntur : Pythagoram (1.) admisisse Ens aliquod primum, Causam primam omnium rerum. (2.) Causam illam cæteris rebus omnibus originem dedisse, (3.) Causam illam esse substantiam intellectualem ab omnibus rebus corporeis prorsus secretam abstra-

ctam-

Etamque. Unius *Epiphanii* auctoritas obstat : at quæ tanti non est, ut cæteris testimoniis veterum, & virorum in *Historia Philosophica* longe magis versatorum opponi possit. Quam ineptiat cum de *Pythagoricis* loquitur ipse ostendit *Petavius* : His tamen non obstantibus, sunt qui putent, Deum *Pythagoræ* nonnisi esse formam, essentiam, atque vitam mundi, omnia penetrantem, naturæque igneæ. Inter eos est Clarissimus & amicissimus *Brukerus* *Hist. Philosoph.* Tom. II. pag. 155. & 163. Quamvis autem multum tribuam Eruditissimi Viri judicio, ejusque insignem *Historiæ Philosophicæ* peritiam admirer, non diffiteor tamen rationes ab ipso adductas, me in adfensum nondum pertraxisse. Cur id factum sit, dicam. Et (1.) quidem dum Cl. Vir probare vult: naturam Dei, sive Deum, *Pythagoræ* nonnisi esse formam, vim atque vitam mundi intra se cuncta cientem, provocat ad loca Cl. *Alexandrini* & *Justini M.* Sect. 3. a nobis producta : at revera loca illa non adeo sunt perspicua, ut probent, quod intendit Cl. Vir, non enim hic habemus exactam definitionem, sed qualemcunque descriptionem, exigendam ad aliorum Scriptorum de *Pythagoræ* opinione agentium testimonia : hujus descriptionis summa, si omnia rite perpendimus huc redit: Deus non est mens nihil plane cum mundo commune habens, & ab ea plane remota, sed vim suam potestatemque jugiter in eam exercet. Si singulorum verborum apices consectari velimus innocentissimas propositiones damnare licet. (2.) Cl. *Brukerus* contendit hanc vim omnia permeantem fuisse naturæ igneæ & æthereæ. Probat prius testimonio *Porphyrii* dicentis: *Pythagoram* dixisse, Deum corpora luci,

luci, mente autem veritati similem: at & hoc testimonium non probat naturam Dei nonnisi substantiam igneam esse: voluit Porphyrius homo Platonicus Dei naturam rebus perfectissimis comparare atque hinc inter corpora lucem, inter intellectualia veritatem exempli loco ponit. Certum est, *Pythagoram* non existimasse, Deum hominis instar mente & corpore constare. Eundem Deum Pythagoræ ex æthere constare probare vult Cl. Vir hoc argumento: mentem, juxta opinionem *Pythagoræ* fuisse partem ætheris, hanc autem fuisse particulam Essentiæ divinæ, unde sequatur, Deum *Pythagoræ* æthereum esse. At huic sententiæ obstare videntur omnia fere veterum testimonia, omnia enim, aut saltem pleraque probant, Eum *Μουαδος* nomine intellexisse substantiam intellectualem, quod ipse Cl. Vir loco citato pag. 166. fatetur. Idem doctissimus Vir *Otii Vindelici* p. 188. & *Amanit. Liter.* Tom. VII. pag. 217. contendit, *δυσας* nomine intelligenda intellectuales substantias, non materiam: Quod si illa *Μουαδς* æque ac *δυσας* non sunt substantiæ materiales, sed, ut expresse Veteres intellectuales, dici non potest, Dei naturam ex mente *Pythagoræ*, nonnisi ex purissimo aëre constitisse. *Sextus Empyr.* insuper pag. 675. sq. probat, *Pythagoreos* asseruisse, numerum esse principium rerum incorporeum. Quod confirmare videtur ipse doctissimus Vir, dum in erudita dissertatione Tom. VII. *Schelhornii amanitatibus* inserta probare sustinet, ideas Platonis & numeros *Pythagoræ* idem fuisse. Ideæ autem Platonis non erant substantiæ corporeæ. Quod si denique mentes humanæ (quas numeros se ipsos moventes vocavit *Pythagoras*) uti contendit Cl. Vir, ex Deo  
ortæ

ortæ sunt; Deus autem *Movas* intelligibile quid est, necesse etiam est, mentem non esse æthereæ substantiæ, sed intellectualis. Quod si tamen (cum evidentiâ mathematica locum hic non habeat) Deus *Pythagoræ* ex æthere, quoad essentiam constitit, omnibus autem simul iis virtutibus & perfectionibus, quæ in substantiam perfectissime intelligentem cadere possunt, ornatus fuit, erravit quidem; sed Deum tamen pro causa bruta & mere passiva habuisse dici non potest. Confer de loco *Porphyrîi* a Cl. Viro adducto *Schefferum de constit: Philosoph. Italica* cap. VII. pag. 48. sq. ubi plura eo spectantia.

V.

Vidimus *Pythagoram* professum esse Numen idque a materia prorsus secretum, quæritur autem unde materia tandem orta sit secundum *Samium*. Cl. *Wolfius Manich. ante Manich.* pag. 118. sq. existimat *Pythagoram* duo æterna admisisse rerum Principia, nimirum Deum, & materiam. Nescio tamen utrum allata a Viro Doctissimo loca, id probent. Concedit ipse in *Cudworthi* sententiam, asserentis; per *Μοναδα* Deum, per *Δυαδα* vero res materiales intelligendas. Quæ vero sunt longe simillima. Hoc duntaxat quæritur, utrum illa *δυνας*, seu rerum corporearum complexus, per se ipsum ab æterno extiterit. Provocat Cl. Vir ad *Porphyrîum* qui pag. 46. & 47. ita loquitur: τῶν πρῶτων ἐν λογῶν καὶ εἰδῶν τὸ αὐτὸ ἐποίησαν οἱ πυθαγορειοὶ, μὴ ἰσχυόντες λογῶ παραδέναι τὰ ἄσωματα εἶδη καὶ τὰς πρῶτας ἀρχὰς, παρεγενοντο τῆς ἐνοτήτος λογῶν καὶ τὸν τῆς ταυτοτήτος καὶ τῆς ἰσοτήτος καὶ τὸ αἰτίον τῆς συμπνοίας καὶ τῆς συμπαθείας καὶ τῆς σωτηρίας

ρίας των Ὁλων τε κατὰ ταῦτα καὶ ὡσαύτως ἔχοντας Ἐν προσηγορεύσαν. καὶ γὰρ τὸ Ἐν τοῖς κατὰ μέρος Ἐν τοιαύτον ὑπάρχει ἠνωμένον ταῖς μερεσίν καὶ συμπνεῖν κατὰ μετῴσιαν τε πρώτῃ αἰτίῃ. Τὸν δὲ τῆς ἑτεροτητος καὶ ἀνισοτητος καὶ παντος τε μερίσῃ, καὶ ἐν μεταβολῇ καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντας δισειδῆ λόγον καὶ δυάδα προσηγορεύσαν. i. e. *Idem ergo & Pythagorei in primis rationibus seu adfectionibus formisue idem fecere. Cum enim incorporeas formas ac prima principia verbis tradere non possent, ad demonstrationem per numeros confugerunt atque ita Unitatis, & Identitatis atque æqualitatis rationem causamque amicæ conspirationis atque mutuæ adfectionis & conservationis Universi, secundum idem atque eodem modo se habentis Unum appellabant. Unum enim illud quod in particularibus conspicitur tale existit, partibus unitum ac conspirans ob primæ causæ participationem. Diversitatis autem, atque inæqualitatis omnisque dividui & in continua mutatione versantis & modi hoc modo, illo modo se habentis bifor- mem rationem Binarium vocabant. Ex hisce verbis mea opinione non probari potest, quod Pythagoras duo rerum æterna admiserit principia, neque τε Ἐνος nomine videtur idem intelligi, quod Μοναδος: τὸ Ἐν videtur hic denotare totum Universum harmonice dispositum; δυας vero materiam ipsam in se spectatam, quatenus fluxa est, multisque constat partibus. Quod si contendas τε Ἐνος nomine Causam ordinis intelligi, non refragabor; sed hoc posito unum hoc sequitur; τε Ἐνος nomine Deum, δυαδὺς autem materiam fluxam ex mente Pythagoræ appellandam. Utrum æterna sit illa Δυας, necne non significat: distinctionem aliquam inter τὸ Ἐν & inter τὴν δυάδα a Pythagoreis admitti, testis est Anonymus in vita Pythagoræ apud Photium pag. 57.*

Edit.

Edit. Küsteri. Ὅτι (inquit) διαφερεῖν ἔλεγον οἱ ἀπὸ Πυθαγοῦς Μοναδα, καὶ Ἐν. Μονας γὰρ παρ' αὐτοῖς ἐνομιζέτο ἢ ἐν τοῖς νοητοῖς ἔσα. Ἐν δὲ τοῖς ἀριθμοῖς. confer *Sextum Emp.* pag. 677. sq. *Plutarchus* equidem ad quem Cl. Vir provocat, in libello de *Iside & Osiride* τὴν δυαδα ὕλην vocari a *Pythagora* contendit, atque hoc nomine materiem intelligi. Similiter de *Placit.* Lib. I. cap. 3. & 7. At hoc unum quæritur, utrum *δύας* illa, materia illa, per se ab æterno extiterit. Solemus & nos dicere, duo esse substantiarum genera unum Intellectuale, alterum extensum & solidum: neque tamen principio materiali æternam attribuimus subsistentiam. Provo- cat insuper Cl. *Wolfius* ad locum a *Windeto* cita- tum, in quo *Pythagoras* dixisse fertur, τὴν ἀναγκὴν τῷ κόσμῳ περικεῖσθαι. Quæ verba (loquitur Cl. *Wolfius*) ille recte de prava primæ materiæ na- tura interpretatur, in qua *νεῖκος* viguit, etiam mun- dum jam ornatum urgente undique, ita ut stabili pulchritudine diu gaudere nequeat. Locus ille ad quem *Windetus* provocat extat apud *Plutarch.* de *Placit. Ph.* Lib. I. cap. XXV. Πυθαγοῦς, inquit, ἀναγκὴν ἔφη περικεῖσθαι τῷ κόσμῳ. Quæritur autem, quid ἀναγκῆς nomine intellexerit *Pythagoras*? Notum quam variam potestatem huic vocī dederint Phi- losophi. Patet hoc ex hoc ipso capite XXV. ubi de *Parmenidis* sententia sermo est. *Parmenides*, in- quit, τῆς ἀναγκῆς nomine intellexit τὴν ἐιμαρμένην, προνοίαν, δίκην, καὶ κοσμοποιον. Quod si ad hanc notionem liceret *Pythagoræ* mentem explicare, sen- sus loci *Plutarchi* esset; *Dei* provida cura contineri mundum; atque hic sensus posset confirmari ex eo- dem *Plutarcho*, Lib. V. de *placit*: cap. 4. de in- teritu mundi ex mente *Pythagoræ* loquente. Πυθα-

γορας, inquit, και Πλατων γεννητον ὑπο Θεου τον κοσμον και φθαρτον μεν, ὅσον ἐπι τη φουσει αἰωδη, τον γαρ εἶναι διοτι σωματικον, ἔ μη φθαρησομενον γε, προνοια και συνοχη Θεου, i. e. *Pythagoras & Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt & quod ad naturam attinet obnoxium interitui, quia corporeus, ideoque sensibus sit expositus, non autem perituum, providentia eum & Deo continente.* Quæ ultima *Plutarchi* verba idem significare videntur, quod citatus *Windeto* locus innuere videtur. *Luculentissimum* (ita pergit *D. Wolfius*) omnium est, quod *Numenius Pythagoricus* ex *Magistri* sententia *Sylvam* i. e. ὕλην necessitatem cognominat, ex qua & Deo mundi machinam constituisse, Deo quidem persuadente, necessitate obsecundante, arbitratus est. At si vel maxime concedamus, ὕλην materiam dici *Pythagoræ*, nondum inde constat, utrum per se ab æterno extiterit, nec ne. Unde colligo ex locis adductis vix clarum esse, quid de hoc argumento senserit *Pythagoras*. Nolle equidem cum *Cudwortho* asserere, *Pythagoram* creationem ex nihilo admisisse; cum perspicua argumenta ad manus non sint; at contrarium etiam perspicuis testimoniis niti, asserere non possum. Ut tamen verum fatear, magis probabilis mihi videtur sententia *Cl. Wolfii*, si universam veteris Philosophiæ faciem circa argumentum hoc perpendo, quam *Cudworthi*. (\*)

## VI. Ut

- (\*) *Cl. Moshemius* in *Dissertat. de creatione ex nihilo* Sect. XIV. ex *Jamblichio* probat, *Philolaum Pythagoreum* bina admisisse rerum æterna principia. Utrum autem hoc testimonio certo inniti possimus, dubito. Rationes sunt duæ: prima, quod *Jamblichus* soleat frequentissime veterum sententias ad suas inflectere: secunda, quod ipsi discipuli *Pythagoræ* inter

VI.

Ut autem amplius constet, *Pythagoram Deum a mundo distinxisse, observandum, eum Deo potentiam in materiam agendi concessisse.* Locus *Plutarchi* jam jam citatus, ostendit, *Platonem & Pythagoram* concessisse, mundum divina Providentia ortum, saltem materiam illam rudem & indigestam in ordinem fuisse redactam, ornatamque. Idem docet locus *Plutarchi* de placit. Philosoph. Lib. I. cap. 3. afferentis; *Unitatem secundum Pythagoram esse Causam effectricem.* Præter hæc, constanter profitentur *Pythagoricæ Philosophiæ* sectatores, *Deum provida sua cura Universum administrare.* Eleganter *Jamblichus* pag. 147. ἡ χειρὸν δὲ καὶ τὰ καθ' ἑκάστον, ὅπως διορίσει προσεῖναι το διανοεῖσθαι περὶ τῶ Θεῶν, ὡς ἐστὶ τε, καὶ πρὸς το ἀνθρώπινον γένος ἔτιωσ ἔχει, ὡς ἐπιβλεπεῖν καὶ μὴ ὀλιγορεῖν αὐτῶ. χρῆσιμον εἶναι ὑπελαμβανόν οἱ Πυθαγορεῖοι παρ' ἐκείνῶ μαθόντες, δεῖσθαι γὰρ ἡμῶ ἐπιστατεῖα τοιαύτη, ἢ κατ' μηδὲν ἀνταρρεῖν ἀξίωσαμεν. Τοιαύτην δὲ εἶναι τὴν ὑπὸ τῶ Θεῶν γινόμενην

M 2

ἔπερ

se diffenserint; exempla ipse suppeditat Cl. Mosheimius, tum in hac ipsa citata pererudita Differtat. Sect. XIII. tum in Commentario ad Cudworthum pag. 244. ubi postquam Cl. Wolfii, Pythagoram inter Dualitas referentis, mentionem fecisset, testimonio Chalcidii & Archelai tertii Seculi Scriptoris ostendit, quosdam Pythagoreos mali omnis originem in peculiari quadam anima in mundo latente quæssivisse. Præstabit igitur, si hoc in argumento iudicium suspendamus. Conferatur de hoc argumento Eruditissimus Beaufobre in Historia Manicheismi pag. 31. sq. & Cl. Brukerus Hist. Philosoph. Tom. V. pag. 170. & Differtat. Amænitat. Cl. Schelhornii Tom. VII. p. 217. in quibus locis contendit, *δυαδος* nomine non posse intelligi materiam.

ἔιπερ ἔστι το θεῖον τοιαύτον ἀξίον εἶναι τῆς τε συμπαν-  
 τος ἀρχῆς. Ὑβριστικὸν γὰρ τῆ φύσει το ζῶον ἔφασαν  
 εἶναι, ὀρθῶς λεγόντες, καὶ ποικίλον κατὰ τε τὰς ὀρμας καὶ  
 τὰς ἐπιθυμίας καὶ κατὰ τὰ λοιπὰ τῶν παθῶν δέϊσθαι  
 ἐν τοιαύτης ὑπεροχῆς τε καὶ ἐπανατασεως ἀφ' ἧς ἔστι  
 σωφρονισμὸς τις καὶ τάξις. Ὦνοντο δὴ δεῖν ἕκαστον αὐ-  
 τῶν συνειδῶτα τὴν τῆς φύσεως ποικηλίαν μηδέποτε λη-  
 θὴν ἔχειν τῆς πρὸς το θεῖον ὀσιότητος τε καὶ θεραπείας,  
 ἀλλ' αἰετὶ τιθεσθαι πρὸς τῆς διανοίας, ὡς ἐπιβλεπόντας  
 τε καὶ παραφυλαττόντας τὴν ἀνθρώπινην ἀγωγὴν. i. e.  
*Neque alienum fuerit adjicere singillatim quas cogi-  
 tationes de Numine concipiendas esse definiuerit. Nempe  
 quod existat, quodque ita se gerat erga genus humanum  
 ut illud inspiciat minimeque negligat: quod ab ipso edocti  
 Pythagorei plurimum utilitatis in se habere existimabant.  
 Huiusmodi enim regimine nobis opus esse, cui nullatenus  
 refragari valeamus: tale autem esse Regimen Dei:  
 qui cum tantus sit, dignum quoque esse qui Universis  
 imperet. Recte enim ab iis dictum est, animal istud  
 proclive esse ad proterviam: Itemque inclinatione cupi-  
 ditatibus aliisque affectibus varium. Ideoque tali emi-  
 nentia atque superinspectione opus habuisse, a quo mo-  
 deratio & ordo proveniret. Siquidem existimabit unum-  
 quemque naturalis huius mutabilitatis suæ consciunt nun-  
 quam pietatis cultusve divini oblivisci debere, sed assi-  
 due menti suæ proponere Numen, tanquam quod Homi-  
 num actiones observet, iisque indefinenter invigilet. Con-  
 feratur locus Sect. IV. adductus. Imo eo usque  
 progressi sunt, ut dicerent, Deum omnia, etiam  
 repugnantia efficere posse. Testatur hoc idem Jam-  
 blichus pag. 117. Οὐ γὰρ εἶναι μὲν τὰ δυνάτα τοῖς  
 θεοῖς, τὰ δὲ ἀδύνατα, ὡσπερ οἶεσθαι τῆς σοφιστομένης,  
 ἀλλὰ πάντα δυνάτα. Hierocles etiam multus in eo  
 est, ut providam Dei curam ad omnia se se ex-  
 tenden-*

tendentem probet, atque laudet. Vide pag. 100. 127. 131. 132. Interprete *Curterio*. *Iidem precum necessitatem* urgent, ritusque multos, licet superstitiosos ad Deos colendos adhibuerunt, de quo alibi diximus.

VII.

At ulterius dispiciendum, quousque respectu ad hominem habito, Providentiam extenderint, & quid de Libertate hominis senserint. In disputatione illa quam *Abaris* & *Pythagoras* cum *Phalaride* habuisse dicuntur; *Pythagoras* ita loquens inducitur ad *Phalaridem*, apud *Jamblichum* de *Vita Pythag.* pag: 177. sq. Ἀπιδὼν γὰρ πρὸς τὸν Ἀβαριν ἔφη, ὅτι ἔρανοθεν ἢ διαβασίς εἰς τε τὰ ἀέρια καὶ τὰ ἐπιγεια φερεῖσθαι πεφυκε. Καὶ ἐτι περὶ τῆς πρὸς τὸν ἔρανον ἀκολαθίας πάντων διεξήλθε γνωριμώτατα τοῖς πασι. Περὶ τε τῆς ἐν ψυχῇ αὐτεξούσιας δυνάμεως ἀναμφοιβητικῶς ἀπέδειξε. Καὶ προῖων περὶ τῆς τε λογικῆς καὶ τε νετέλειας ἐνεργείας ἐπέξηλθεν ἰκανῶς, καὶ ἐπειτα μετὰ παρρησίας περὶ τυρρανίδος τε καὶ τῶν κατὰ τυχὴν πλεονεκτημάτων πάντων, ἀδικίας τε καὶ τῆς ἀνθρώπινης πλεονεξίας ὅλης σφειρῶς ἀνεδίδαξεν ὅτι ἔδενος ἐστὶ ταῦτα ἀξία. Μετὰ δὲ ταῦτα θείαν παραινέσιν ἐποίησατο περὶ τῆς ἀριστίας, καὶ τὴν πρὸς τὸν κακίον ἀντιπαράβολὴν αὐτῆς προθυμῶς ἀντιπαρετείνε. Περὶ ψυχῆς τε καὶ τῶν δυνάμεων αὐτῆς καὶ τῶν παθῶν ὅπως ἔχει ταῦτα σαφέςατα ἀπεκαλύψε καὶ τὸ καλλίστον πάντων ἐπέδειξεν, ὅτι οἱ Θεοὶ τῶν κακῶν εἰσὶν ἀναίτιοι, καὶ ὅτι νοσοὶ, καὶ ὅσα παθῆ σώματος ἀκολασίας ἐστὶ σπέρματα, περὶ τε τῶν κακῶς λεγομένων ἐν τοῖς μύθοις διηλεγξέ τῆς λογιστικῆς τε καὶ ποιητικῆς. Τὸν δὲ Φαλαριν μετελεγχῶν ἐνεθετεῖ, καὶ τὴν τε ἔρανε δυνάμιν ὅποια τις ἐστὶ καὶ ὅση δι' ἔργων ἀπέδεικνυε·

σεως, ὡς εἰκός γινεται τεκμηρια πολλα παρεθετο. Περὶ τε της διαφορας ἀνθρώπων προς τα ἄλλα ζῶα παρεδείξε περιφανως. Et paucis interjectis: και το μεγαισον των κατ' ἐμαρμενην και κατὰ νῦν δρωμενων την διακρισιν ἐποίησατο και των κατὰ πεπωμενην και καθ' ἐμαρμενην. i. e. *Ad Abarin conversus docuit, quod a caelo in res aëreas & terrestres transitus quidam & descensus fieri soleat. Deinde pernotissima quæque differuit, quod omnia cæli ordinem sequantur. Item demonstravit animæ facultatem liberam sui que Juris esse, & longius progressus perfectas rationis mentisque operationes esse adstruxit: ac ita denuum solita libertate, de tyranide omnibusque fortunæ prærogativis, denique de injustitia omniumque hominum avaritia, quam nullius ista cuncta pretii sint, solide docuit. Hisque subjunxit divinam de vita optima definitionem; ejusque cum pessima comparationem exerte instituit: Sed & quomodo anima cum suis facultatibus & affectibus se habeant, clarissime detexerit, quodque omnium præstantissimum est, demonstravit Deos non esse causam malorum, morbosque & si quæ alia corpus male afficiunt ab intemperantia profeminari, reprehensis fabularum Scriptoribus atque Poëtis ob ea, quæ in fictionibus suis secius dicta extant. Hincque Phalaridem redarguendo erudivit, quæque & quanta esset cæli potentia ex operibus ostendit: quodque pænæ legibus sancitæ jure meritoque infligantur multis certisque argumentis probavit. Insuper quantum discrimen inter hominem & cætera animalia intercederet aperte indicavit . . . distincte etiam explanavit quæ fato, quæque arbitrio hominum fierent, ac de dæmonibus & immortalitate animæ sapienter multa disputavit. Forte quosdam offendent, quæ hic de Cæli potentia dicuntur: postquam Abaris de cultu Deorum, Providentia, de rebus, item quæ in cælo, & in terra fiunt,*

fiunt, verba fecisset; tum vero *Phalaris* iratus, ἐτολμα δὲ πρὸς τὰς θεοὺς αὐτὰς βλασφημίας δεινὰς προσφέρειν, καὶ τοιαύτας ὅσας ἂν ἐκεῖνος εἶπεν. i. e. *Ausus* etiam in Deos ipsos graves, seque dignas blasphemias evomere: videtur *Phalaris* ex eorum numero fuisse, qui Deos injustos, causamque mali fuisse adferrent, ob ea, quæ in terris geruntur: respondit ergo *Pythagoras*, omnia quidem cæli ordinem sequi, sed mali tamen causam non esse Deum, neque etiam *Poëtarum* crudis de Diis sermonibus vacivas esse exhibendas aures. Quod si igitur, uti antecedentia postulant, per *Cælum* intelligamus Deum, cælorum Moderatorem, verum est omnia ex nutu cæli fieri. Ita intellexit hanc vocem *Vir Summus G. Vossius* de Orig. & progressu Idololatr. Lib. II. pag. m. 509. Usitatus, inquit, *Græci Romanique per Jovem intellexerunt cælum, quod factum imitatione Orientis, inque his Persarum, de quibus ita Herodotus κυκλον παντα τὰ ἔρανα διακαλεοντες. Et Strabo Lib. XVI. τον ἔρανον ηγουμενοι δια.* In hac opinione non modo *Vulgus Græcorum stulte cum Persis sapiebat, sed etiam Magnus Pythagoras, quippe & illi cælum, sive æther Deus erat. Ita D. Vir.* At postquam paucis interjectis, caute hic procedendum dixisset, cum *Pythagoras* unicum admiserit Numen, eumque in finem locum *Hieroclis* supra a nobis allatum, adduxisset, ita pergit *Vir D. imo fortasse Pythagorici, quod hunc sensibilem Deum statuerent, vulgo tantummodo dederunt, quicum loquendum non sapiendum judicabant. Sane sic Plato sensit, ut alibi dicimus. Et constat Pythagoreos cælum potius habuisse pro musico Deorum organo. Nam eorum, ut & Platonis opinio erat, circumvolutione orbium cælestium concitatissima admirandum*

*excitari concentum atque eo respexit quoque Varro Satyr.*

*Ὅνος λυγας*

*Quam mobilem Divum lyram Sol ἀρμονῶν*

*Quadam gubernans motibus Diis viget.*

*Ubi videmus cælum a Varrone nuncupari Divam lyram, nempe ob suavissimam orbium caelestium harmoniam. Haecenus Vossius. Mirum est turbas excitari ob vocabulum, cum aliunde Auctoris mens sit perspecta: certe Pythagorico-Platonici clarissimis ubique verbis τα νοητα, a τοις ἀιδινοτοις distinxerunt, neque ullum est testimonium, quo Cælum ipsum pro Numine Supremo habuerint. Patet insuper ex adductis Verbis Pythagoræ, eum Providentiam ita admisisse, ut tamen libertatem hominum in tuto, quantum potuit, collocaverit. Non nego Hieroclem ad Platoniorum mentem flexisse sententiam Pythagoræ; at cum meliora ad manus non sint, ipseque pro Pythagoræ opinione venditet, neque aliunde etiam lucem afferre tuto possint V. Docti, licebit ex eo etiam argumentari: confer ergo hunc Comentar. inde a pag. 104-140. ubi in eo est, ut mala cum primis physica cum Dei virtutibus conciliet. In compendio pag. 111. ita de hoc argumento loquitur: *Itaque voluntatis nostræ divinique judicii nexum Infortunium parere: nihilque aliud totum hoc divinum existere Infortunium, quam Dei adversus peccata calculum. Atque ita artificiosa vocabulorum inventionem Dei curam animique libertatem atque immortalitatem simul inducere, neque fato aut Providentia fieri penitus; neque rursus fortuito & casu: neque etiam in eodem Instituto vitam totam nobis contineri: sed quæcunque potestate nostra peccamus ea ad voluntatem referri: quæcunque autem scelera sequuntur, secundum justitiæ leges Fatum existere, quæ vero bona a Deo potissi-**

potissimum mittuntur, Providentiæ assignari: nihil denique eorum quæ sunt, ad temerariam & fortuitam causam referre: imo nec eorum quicquam, quæ fiunt: nisi ex eventu, atque nexu eorum, quæ Providentiæ & Fatum ipsaque voluntas per se operantur, primis efficientibus causis accedat, quod fortuitum appellatur. Exempli causa: Vult Judex in eum animadvertere, qui cædem perpetravit: & non in huncce hominem: sed eum etiam supplicio afficit, quem nolebat, quoniam homicidæ locum atque conditionem sibi assumpsit. Et est quidem Judici ex instituto in Homicidam lata sententia: ex eventu autem in huncce hominem, qui sponte personam Homicidæ subivit. Et rursus: cædem facere sceleratus volebat quidem: sed pœnas dare hoc nomine minime. Itaque & in illo prius extitit, homicidii quidem institutum, tanquam ab animi libertate dependens: sed inde postea contigit ut tormenta etiam atque molestiæ subsequerentur: quorum omnium lex ipsa causa est, quæ Judici voluntatem improbos atque homicidas damnandi, plectendique suggestit. Idem plane mihi in divina Natura etiam ipse considera, nempe cum voluntas humana, quæ mala sunt cupit admittere, eorum autem animus, quibus servandarum legum cura est, in scelera animadvertere toto conatu nititur; ex eo concursu divinum creari infortunium: cujus ratione, qui talia admisit, pari animadversione dignus efficitur. Altero quidem judicationis causam ad arbitrii libertatem, quæ vitiosa prætulit, referente: altero vero ad legalis disciplinæ rationem, quæ multæ gravitatem in damnatis sequitur. Amborum autem conciliatricem legem ipsam existere: quæ bona quidem ut sint omnia (quantum potest) statuit: mali autem nihil. (\*) Ex eodem fonte manarunt, tot

M 5

adhor-

(\*) Cum autem Fatum, Providentiæ, Necessitas, diversas habeant significationes, sunt qui putent Providentiæ

adhortationes, quas ad discipulos atque omnis generis homines habuisse dicitur *Pythagoras*: quamvis enim non ex genuinis veræ Theologiæ principiis repetitæ sint illæ præceptiones; patet tamen eum

nomine non intelligendum esse secundum Pythagoram liberam Sapientissimi Numinis voluntatem; sed leges Universi & concatenationem causarum physicarum. Atque ita sentit Cl. Brukerus Hist. Philosoph. Tom. 2. pag. 156. & 167. tribus nititur Doctissimus Vir locis. Primus est locus Plutarchi de Placitis Lib. I. cap. 5. quem supra produximus, ubi mundi necessitatem *περιχειδαι* ex mente Pythagoræ ait: duo sequentes extant apud Laertium, Lib. 8. Segm. 27. prior ita sonat:  
 „ Fatum univerforum, & eorum quoque, quæ per  
 „ partes sunt, administrationis causam esse. Posterior:  
 „ Hominibus cum Diis cognationem esse, quod &  
 „ homo calor particeps sit, unde & nostri Deum  
 „ providentiam gerere. „ Quod locum Plutarchi at-  
 „ tinet, jam supra diximus, explicitum ab eo non esse, quid necessitatis mundo incumbentis nomine intellexerit. Certe ubi de fato, & necessitate aliorum philosophorum sententias narrat, altum filet de opinione Pythagoræ; Interim cum idem asserat, mundum non periturum secundum Platonem & Pythagoram, quod Dei Providentia sustentetur, videtur idem intellexisse per necessitatem quod Plato. Prior locus ex Laertio citatus, nihil videtur significare, quam Deum non minus singularium, quam univerforum curam gerere. Certe nisi aliunde mens Pythagoræ nota sit, vix ex hoc loco quid de Providentia vel Fato senserit Samius, colligi poterit. Ultimus denique locus obscurior est, quam ut inde inferri possit, nonnisi leges físicas per Providentiam intellexisse Pythagoram; antecedentia ita sonant. „ Solem item  
 „ & lunam & reliqua sydera Deos esse; quippe in  
 „ illis superare calorem, qui sit vitæ auctor. Lu-  
 „ nam quoque a Sole illustrari, hominibusque esse

eum saltem hoc supponere, mentem esse liberam, pœnæ ac præmii caparem: proferamus ex multis unum tantum testimonium. Extat illud apud *Jamblichum* pag. 163. *In genere (inquit) dicitur Pythagoreos*

„ cum Diis cognationem, quod & homo caloris particeps sit; unde & Deum &c., Nemo non videt quam parum apte inter se oratio Laërtii cohæreat, nimirum huc redire connexio videtur, homo & Dii caloris participes sunt; Ergo Deus hominis curam gerit. Nimirum sydera sunt Dii, habent calorem, in homine etiam calor est, qui vitæ principium: ergo Deus calorem illum conservare tenetur. Sane obscurior est hæc ratiocinatio, quam ut fundamentum Interpretationis sententiæ Pythagoræ esse possit. At fac putare Laërtium, Deum ideo nostri curam gerere, quod is, quemadmodum nos, ex ætherea natura constet, nihil aliud inferri inde posset, quam Deum æthereæ naturæ, mentem nostram conservare, neque enim toti ex æthere componimur. Ergo summa ratiocinationis esset; Deus, qui ejusdem naturæ est, ac mens nostra, mentis curam gerit. At ubi tandem manent omnia testimonia veterum clamantium, Pythagoram per Monada nonnisi intellectualem principium intellexisse? ubi manent tandem omnia illa attributa intellectualia, quæ Deo tribuit Pythagoras? Tandem, si Deus cum maxime æthereæ naturæ sit, nostrique curam gerat, quod consimilem mentem nacti sumus, nondum sequitur, Deum cum mundo, seu cum mente necessario conjunctum; Deum omni consilio destitui & libertate ad mundum regendum, vinculum tandem illud inter Deum & mundum esse necessarium: verbo, cum nullibi naturam providentiæ & conjunctionis Dei cum mundo perspicue delineaverit Pythagoras, mallet ego in generalibus propositionibus, veterum testimoniis confirmatis, de Providentia a Pythagora admissa subsistere, quam duriores sententiam ei adscribere.

reos perinde obvios quosvis ac familiares adhortari, ut a voluptate sibi caveant, tanquam a re summæ cautionis indiga: nullo enim nos alio quam isthoc adfectu vehementius decipi & in peccata præcipites agi: hinc generatim videntur contendisse, ne unquam ad voluptatem collineantes aliquid cæptaremus. Hunc quippe finem ut plurimum inhonestum, noxiumque esse: itaque eo proposito ad agendum nos accingere debere, ut bonum honestumque primo loco spectemus, utilitatem vero commoditatemque in secundis collocemus, & hoc quidem iudicio non vulgari opus habere. De cupidinibus, uti vocantur, ista docuisse Viros illos referunt: Ipsam quidem cupiditatem esse concitationem quandam animæ & impetum, appetitionemque, qua juxta inclinationem sensuum atque adpetitus sensibilis repleti aliquibus rebus aut quarundam rerum præsentia frui, desideramus. Vicissim vero esse quandam cupiditatem, quæ ad evacuationem tendit, quaque abesse a nobis quædam & non sentiri volumus. Multifarium autem esse hunc affectum, & præ omnibus fere, qui se in homine exerunt affectibus, pluriformem. Sed & plerasque hominum cupiditates extrinsecus accersitas esse, & propria hominum opera comparatas; ideoque illas magna cura ac custodia & minime perfunctoria exercitatione indigere; nam naturale quidem esse, ut corpus exinanitum alimoniis refocilletur: idemque postquam repletum est juxta naturæ ductum evacuatione opus habere: ast exquisitos cibos, aut curiosam delicatamque vestem ac stragula aut sumptuosa splendidamque habitationem concupiscere, id vero accersitum esse: eodem modo se rem habere cum suppellectili, vasis, ministris, pecore ad vescendum apto. Universe autem cum humanis affectibus ita comparatum esse, ut nusquam consistant, sed in infinitum abripiant. Quapropter a prima statim juventute prospiciendum & cum cura attendendum, ut

mature

*mature quæ appetenda sunt, expetant, vanasque & superfluas cupiditates fugiant; adeoque ab hujusmodi adpetitionibus imperturbati purique permaneant, eosque ipsos contemnant, qui eo quod cupiditatibus impliciti sunt, dignos se contemptu reddiderunt. Cumprimis vero animadvertere licere, vanas illas, damnosas, exorbitantes & effrenatas cupiditates iis dominari, qui eminentiori quadam potestate conspicui sunt, nihil enim tam absorum esse, quo hujusmodi tam puerorum, quam virorum & mulierum animus se non incitet.*



ORA-